



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris  
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,  
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,  
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,  
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &  
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:  
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia  
illustrata: facundissimis ...

... Hic Tomus Quartus Allegoricis Expositionibus Et Qvæstionibus Vtrobique  
Salvberrimis Tractat

**Beda <Heiliger>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

In Librum Tobiaë expositio allegorica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72011)

CAPUT XXXVII.

Nehemias ab uxoris alienigenis mundat Iudaos. & constituit ordines Sacerdotum ac Levitarum, unumquemque in ministerio suo: & tandem memoria se Dei commendat in bonum.

Sed & in diebus illis vidi Iudaos ducentes uxores Azoticas, Ammontidas & Moabitidas, & filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & nesciebant loqui Iudaicè, & loquebantur iuxta linguam populi, & objugari eos, & maledixi, &c.] Et nunc in sancta Ecclesia uxores ducunt alienigenas, quicunque oblectationibus scelerum, quæ ad gentiles propriè pertinent, cum conscientiam attaminant. Filijque ex his nati nesciunt loqui Iudaicè, cum opera quæ ex mente vitiosa prodierant, nil in se piæ professionis ostendant: sed gentilem potius stultitiam, quam ecclesiasticam fonant castitatem. Azotus enim, quæ hebraicè dicitur Adod, interpretatur ignis verbum; ideoque juxta tropologicum sensum, Azoticè loquuntur filij de alienigenis nati uxoris, cum opera per lasciviam procreata, ultionem expectant æternæ combustionis. Unde merito talium genitores à Nehemia non solum objugati ac maledicti, sed & quidam sunt casti: quia necesse est errantes à doctoribus veritatis acriter coarcentur, quatenus à verbo ignis ultoris, ad verbum divinæ laudationis discant felici mutatione transferri. Sed & hæretici cum gentilibus philosophiæ dialecticæ ac rhetoricæ studijs amplius quam ecclesiasticæ simplicitati operam dant, non mirandum si auditores eorum juxta linguam populi loquantur, scripturas quidem sanctas ore volventes, sed has erratico & gentili sensu interpretantes.

Igitur mundavi eos ab omnibus alienigenis, & constitui ordines sacerdotum & Levitarum, unumquemque in ministerio suo, & in oblatione lignorum, in temporibus constitutis, et primitiis. Memento mei Deus meus in bonum. ] Aptus per omnia finis, & condignus ædificationi sanctæ civitatis ac templi Domini, ut enundatis civibus ab omni forde externæ & alienæ à Deo pollutionis, ordines sacerdotum ac Levitarum ministerio suo ritè custodiantur: quatenus institutum regaliter magistri Ecclesiæ & castigatum ab omni peccato populum permanere in bono, in reliquum & crescere semper exhortentur: qui videlicet populus inter alia, Domino ligna offert ad ignem altaris nutriendum, cum opera virtutum utique divina consecratione digna operatur. Nisi enim ligna aliquoties boni aliquid figurarent, non diceret Propheta: Tunc exultabunt omnia ligna sylvæ ante faciem Domini. Ardent autem ligna, & consumuntur in altari holocaustorum, cum in cordibus doctorum opera justitiæ flamma charitatis perficiuntur. Merito ergo talis conditor & dedicator civitatis, post multos devotionis suæ labores, memoriæ se sui creatoris ac largitoris orantium bonorum commendat. Et tu summe pater luminum, à quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit, qui mihi humilimo servorum tuorum, et amore dedisti, et auxilium considerandi mirabilia de lege tua: quique in thesauro prophetici voluminis, non solum vetera amplectendi, verum et nova sublevatione veterum donata invenendi, atque in usus conservorum meorum preferendi, indigno mihi gratiam præstitit, memento mei Deus meus in bonum.

Expositionis allegoricæ in Nehemiam, qui et Ezra secundus, finis.

BEDÆ PRESBYTERI IN LIBRUM TOBIÆ Allegorica expositio.



IBER sancti patris Tobia, & in superfcie literæ salubris patet legentibus, utpotè qui maximis vitæ moralis, & exemplis abundat & monitis. Et si quis eundem etiam allegoricè novit interpretari, quantum poma

folijs, tantum interiorem ejus sensum videt simplicitati literæ præstare. Maxima namque Christi & Ecclesiæ sacramenta, si spiritaliter intelligitur, in se continere probatur. Siquidem ipse Tobias, populum Israel designat, qui cunctis gentibus idololatriæ deditis, ipse serviebat Deo fide recta & operibus justis, sicut de Tobia legitur.

Quia cum irent omnes ad vitulos aureos, quos fecerat Ieroboam rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, et pergebat in Hierusalem, et ibi adorabat Dominum Deum Israel. ] Ieroboam quippe, qui ad deceptionem subditorum sibi vitulos fabricavit aureos, idololatriæ auctorem exprimit.

Et quidem captus erat Tobias in diebus Salmanasar regis Assyriorum, sed in captivitate positus, viam veritatis non deseruit. ] Hæc captivitas a rege Assyriorum facta, illam generis humani captivitatem designat, qua per regem omnium pravorum, hoc est diabolum, de patriæ cœlestis est habitatio projectum, & in hujus exilij peregrinationem transfingratum.

Impertiebat Tobias cuncta quæ habere poterat quotidie cum captivis fratribus, qui ex ejus erant genere, sed et advenis ac profelytis decimas dabat. ] Et populus Israel in doctoribus suis, verbi Dei elemosinam non solum rudibus suæ gentis auditoribus, sed & his qui ex nationibus in ritum conversationis eorum converti volebant, ministrabat. Quicquid enim naturalis boni habere poterat, quod non ab hoste captivante tolleretur, totum hoc suis in exemplum virtutis ostendebat. Sed & portionem semper aliquam scientiæ salutariæ etiam gentilibus dabat: quod est decimationem suæ substantiæ Tobiam advenis ministrare.

Tobias postquam factus est vir, accepit uxorem Annam ex tribu sua. ] Et populus idem, postquam adolevit & amplificatus in Ægypto, accepit synagogam ceremonijs legalibus institutam per Moysen.

Genuit ex ea filium, nomen suum imponens ei. ] Quia Christum ex suo genere nasciturum esse cognovit, dicente Moysè: Prophetam suscitabit vobis deus noster de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis. Et Dominus ad David: De fructu ventris tui ponam super sedem meam. Cui nomen suum imposuit, credendo & confitendo, quod dicit de illo pater: Et ego primogenitum ponam illum. Sicut de ipso populo dicit: Filius meus primogenitus Israel.

Quem ab infantia timere Deum docuit, et abstinere ab omni peccato. ] Credendo & confitendo, quia peccatum non faceret, nec inveniretur dolus in ore ejus, sed impleret eum spiritu timoris Domini.

Tobias Gabelo contribulo suo egenti dedit sub chirographo decem talenta argenti. ] Et populus Dei gentibus per LXX, interpretes divinæ legis, quæ in Decalogo continetur, scientiam commisit, ut per hoc eas ab infidelitatis egestate liberaret. Sub chirographo autem dedit, id est, sub conditione restituendi, postquam ipse discesseret, vel qui dederat repeteret. Acceperunt autem gentes verbum Dei à populo Israel per interpretationem, quod post incarnationem Dominicam etiam spiritaliter nunc intelligunt, & adquirendas virtutum divitias exercent. Reddunt verò feneratori, cum credentes in fine sæculi Judæos in unitatem Ecclesiæ recipiunt, eisque salvandis Christi sacramenta committunt, & scripturarum quoque referant arcana.

Iubetur Tobias à Rege occidi, et tolli omnem substantiam ejus propter bona quæ fecit. Sed ille cum filio et uxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum. ] Et diabolus satagebat populum Dei per idololatriam spiritali morte perimere, & ei cunctas virtutum opes auferre, nec valuit: quia multi erant in eo sancti doctores, qui ejus vitæ providerent, ac salutem.

Fugit autem cum filio et uxore. ] Quia nec fidem Domini in incarnationis, nec statum synagogæ potuit hostis auferre, quam vis violenter insisteret, quod in Machabæorum agonibus multum claruit.

Sed occiso Rege à filio suo, restituta sunt cuncta sua Tobia. ] Quia superato sapius diabolo, ac suis sceleribus, quæ velut pessimam prolem genuit, condemnato, redibant

Tob. 1.

Deut. 18. Psal. 31.

Psal. 88.

Psal. 95.

Tob. 11.

prospera populo Dei. Quibus altercationibus etiam Ecclesiæ statum post incarnationem Domini fluctuare videmus.

*Fatigatus à sepultura Tobias, venit in domum suam, & cum iussisset se iuxta parietem, & obdormisset, ex nido hirundinum calida stercore decidit in oculos ejus, & factus est cæcus.* Nè mireris lector, quòd aliquando bona typicè malum, aliquando bonum mala hominum facta significant. Quòd si non liceret, nunquam nigro atramento, sed auro semper lucido scriberetur Deus, quia lux est. Sed et si nomen diaboli in calculo scribas candido, nihilominus tenebras significat profundas. Cæcatus ergo Tobias designat, quia sicut Apostolus ait: *Cæcitas ex parte contigit in Israel.* Fatigatus est à sepultura, & cæcatus: quia qui infatigabilis in bonis operibus persistit, nunquam fidei luce privatur. Jacet spiritaliter, & dormit fatigatus, qui vigilare & stare in fide, viriliter agere, confortari negligit. Cui bene congruit illud Apostolicum: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & il luminabit te Christus.* Hirundines propter levem volatum, superbiam, cordisq; levitatem figurant, quarum immunditia cõfessim eos quibus dominatur, excacat. Quasi enim nido hirundinum suppositus dormit, qui levitati, lascivie ac superbiæ mentem incautus subijcit, hæc autem cæcitas ac superbiæ mentem incautus subijcit, hæc autem cæcitas populo Israel, maxime imminente adventu Dñi in carne prævaluit, cum & Romanæ servitutis jugo premeretur, & legis divinæ præcepta pessime vivendo violarent.

Rom. 11.

Ephes. 5.

*Insultabant Tobias cognati, exprobrabant & axor, quasi frustrati Deo servisset. Quos increpans ille, & instruens, ad Deum se orando convertit.* Erant in populo illo quidam qui stulta temeritate ipsius populi miseris insultarent, quòd à felicitate prisca sanctorum patrum, qui apud eos quondam Deo sublimiter serviebant, jam luce distaret. quos idem populus per doctores quosque, & electos suos corrigere sedulus curabat, se seque ad implorandam Dei clementiam pro æternæ vitæ perceptione convertebat. Nec ab re debet videri, quòd idem Tobias & cæcus, & verbum Dei prædicans, reprobos simul & electos significare dicitur. Nam & Jacob patriarcha cum Angelo luctans, & claudus pariter est factus & benedictus: in claudicatione videlicet infidelis, suæ gentis significans in benedictione fideles.

Tob. 3.

*Sara filia Raguelis in civitate Medorum, quæ tradita erat septem viris, & demonium eos occidebat, mox ut ingrediebantur ad eam.* Turbationum figuratè denunciat, cujus doctores cuncti hujus tantum sæculi, quòd septem diebus volvit, vitam noverant, de æterna nil dicere sciebant. Ideoque sunt omnes à diabolo rapti, ut pote idololatriæ mancipati, donec verus adveniret sponsus Dominus noster, qui hanc sibi per fidem, hoste superato conjunxit: sicut Tobias Saram alligato dæmonio sponfam accepit, præcipiente & cooperante Archangelo, per quem divinitas nostri Salvatoris non incongruè significatur, sicut per Tobiam humanitas. Nec mirabitur hoc, quòd per duas personas, Angeli videlicet & hominis, unam mediatoris Dei & hominum personam, dicimus figurari, qui in expositionibus patrum venerabilium legerit unam ejus personam pro mundi salute patientis in Isaac, qui offerebatur à patre in altari, & in ariete qui immolabatur, esse figuratam. Qui in humanitate occidebatur ut ovis, in divinitate impassibilis permanet cum Deo patre, ut vivens cum suo patre domum revertitur Isaac. Si enim apertè aries humanitatem Christi, homo designat deitatem: cur non multo aptius homo humanitatem, Angelus deitatem significet?

Luca 4.

Esai. 9.

*Missus est ergo Angelus Domini sanctus Raphael, qui interpretatur medicina Dei, ut Tobiam à cæcitate, & Saram à demonio liberaret.* Missus est Dominus in mundum, qui de seipso ait: *Non est opus valentius medico, sed male habentibus.* qui & populum Judaicum à tenebris perfidie, & gentilitatem ab idololatriæ servitute redimeret. De quo dixit Propheta: *Et vocabitur nomen ejus magni consilij Angelus.* Apparuit Angelus Tobias, eique se socium tribuit, per quem magnalia populo, ad quem missus erat, perficeret. Et filius Dei hominem assumptus, in quo visibiliter cum hominibus conversatus, humanum genus salvaret.

*Introduxit Tobias Angelum ad patrem suum, qui salvavit eum, dicens: Gaudium tibi sit semper. Cui respondens: Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæci non video? Forti, inquit, animo esto, in proximo est ut à Domino cæcus. Et Dominus nosse per miracula quæ fecit in carne, ostendit populo Judæorum, ex quo carnem susceperat, quia ipse est filius Dei, & Angelus, i.e. nuntius paternæ voluntatis. Cui etiam gaudium perpetuæ salutis prædicavit, dicens: Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum. Et desperantibus de acquirendo lumine cælesti: Ego sum, inquit, lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

*Promittit Angelus Tobias ducere filium ejus in Reges civitatem Medorum, & reducere ad eum.* Promittit Dominus credentibus ex populo Judæorum, quamvis idem populus ex magna sit parte cæcatus, quòd incarnationis suæ sacramenta plebi gentilium aperiat, rursusque in fine temporum eadem suo populo, ex quo carnem assumpserat, latius pandat, comitante ubique simul & cuncta operante fide divinitatis ipsius. Dicit ipse de ductu ad Medos: *Et alii vobis habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, &c.* Dicit Apostolus de recto: *Donec plenitudo gentium introiret, & sic omnis Israel salvus fiet.*

*Interrogante Angelum Tobias unde esset: Ego sum, inquit, Azarias Annaniam magni filius. Azarias interpretatur adiutor Dominus, Annanias gratia Domini. Et Dominus his qui in se credunt, intimat: quia ipse est quem venire desiderans Propheta cantabat: *Adiutor meus & liberator meus est Domine, ne retardaveris.* De quo & Evangelista: *Et vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti à patre, plenam gratia & veritatu.**

*Tunc paratis omnibus, inquit, quæ erant in via portanda, sicut Tobias vale patri suo & matri, & ambulaverunt ambo simul.* Apparente in carne Dño, parata sunt omnia quæ ad redemptionem mundi pertinere, & quibus sancta Ecclesiæ fides ac vita nutrietur & firmaretur, donec laquei sæculi viam terminaret: i.e. virtutes ejus, doctrina, tentatio, passio, resurrectio, ascensio, Spiritus sancti missio, fides credentium, infidelium persecutio. Quibus in Judæa peractis, ipse mediator Dei & hominum prædicavit per Apostolos populo & synagoga, unde carnis originem susceperat, gaudia supernæ salutis & pacis. Et his qui credere atque accipere volebant, ea per seipsum donavit, scilicet ad salutem gentium in eisdem suis doctoribus venit.

*Profectus est ergo Tobias, & canis sequutus est eum.* Veniente Domino ad salvandas gentes, sancti prædicatores sunt ejus vestigia secuti, quia quòd iussit, impleverunt: *Ecce ego doceo omnes gentes.* Denique domum Cornelij pimum ipse Dominus Spiritu sancto replevit, & sic Petrus aqua perfudit. Canes autem vocantur doctores: quia domum, substantiam, oves sui conditoris spirituales, à furibus bellis que, id est, ab immundis spiritibus & hominibus detrahunt hæreticis.

*Mansit Tobias, ducere Angelo profectus, prima mansit iuxta fluvium Tigrim, & exivit ut lavaret pedes suos, & ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum.* Hic denuò passio Domini sacramentum manifestius significatur. Piscis enim immanis, qui à Tobia cum eum devorare appetere, Angelo docente occisus est, antiquum generis humani devoratore, hoc est, diabolum designat, qui dum in redemptore nostro mortem carnis appeteret, captus est potentia divinitatis, Fluvius Tigris, qui propter rapidissimum cursum tigride bestia velocissima nomen accepit, decursum nostræ mortis ac mortalitatis indicat. In quo piscis latebat immanis, quia invisibilis humani generis seductor, mortis habebat imperium. Mansit Tobias iuxta Tigris fluenta, quia Dominus in mundo apparet, inter peccatores ac mortales vitam duxit, sed eum nec peccatum quæda tetigit, neque in illo suum aliquid adveniens principis tenebrarum reperit. Exivit autem Tobias, ut lavaret pedes suos: & Dominus mortem, cui nihil debebat, susceperit, ut fideles omnes, sua videlicet membra, à contagio peccati & mortis ablueret. Occurrit Tobias pisci, devorare illum cupiens: & Domino passo in cruce venit diabolus, qui eum

crucifixi

circumfigi docuerat, quærens si quid fortè in ejus anima sceleris inveniret.

*Expavescens piscem Tobias clamavit voce magna, dicens: Domino invadit me.* Et Dominus, imminente mortis articulo, cepit pavere & tædere, non diabolum pertimescens, sed mortem, quæ invidiæ diaboli intravit in orbem terrarum, naturali carnis fragilitate perhorrescens: unde & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora. Et dixit: *Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me; sed non quod ego volo, sed quod tu.*

*Dixit Angelus Tobias, Apprehende branchiam piscis, & trabe eum ad te.* Apprehendit Dominus diabolum, & eum qui se in morte capere voluit, moriendo cepit & vicit. Apprehendit autem branchiam ejus, ut caput nequissimum à corpore decepto, potentia suæ dextera separaret, i. e. nequitiam hostis antiqui ab eorum quos sibi malè conjunxerat, & quasi unum corpus fecerat, corde auferret, & hos Ecclesiæ suæ corpori pius redemptor insereret. Branchiam quippe habet piscis in confinio capitis & corporis sui. Sicut autem Dominus noster caput Ecclesiæ suæ, Ecclesia verò corpus est ejus: ita diabolus caput omnium iniquorum, & omnes iniqui corpus & membra sunt ejus. Apprehendit ergo Dominus branchiam piscis immanissimi, & traxit eam ad se, projecitque in siccum, quia potentiam diaboli comminuens, traduxit palam confidenter, eruitque de potestate tenebrarum, quos filios lucis esse præcivit.

*Quod enim fecisset, inquit, palpitare caput in sicco ante pedes ejus.* Cùm Dominus nequitiam maligni hostis superans profertur in lucem, atque omnibus redderet manifestam, mollitus est adhuc superbiens persecutionem electis ejus commovere, qui sunt pedes ejus: quia per ipsos ambulat in terra Dominus, qui super omnia regnat in celo.

*Tunc dixit ei Angelus Domini, Exentera hunc piscem, & cor ejus, & fel & jecur repone tibi.* Exenteravit Dominus piscem, cùm nequitiam diaboli latius sanctis aperuit, & quali arcana insidiarum ejus visceravit. *Reposuit sibi cor ejus:* quia calliditatem ejus libris sanctis involvit, de qua scriptum est: *Serpens autem erat callidior cunctis animantibus terra.* De quo corde dixit & Paulus: *Non ignoramus cogitationes ejus.* *Reposuit & fel:* quia quanto malitiæ furore contra genus humanum leviret, propter cautela studium scribi & conservari voluit. *Jecur:* quoque reposuit, quia maturitatem consiliorum ejus malignam adversum nos, innotescere nobis per doctores veritatis dignatus est. Ferunt enim, quia calore ac virtute jecoris occulta cibi excoquantur comesti, & ad digestionem perveniant. Cùm verò ea quæ agere disponimus, sedula cogitatione, quo ordine sint peragenda exquirimus, quali acceptos in stomacho cibos ardore jecoris excoquimus.

*Sunt enim hæc necessaria, inquit, ad medicamenta usuliter.* Altitia & malitia diaboli hostis antiqui, nobis agnita proficiunt ad medelam: quia quanto ea certius exploramus, tanto cautius declinamus.

*Assavit Tobias carnes piscis, & secum rulerunt in via, cetera salierunt, quæ sufficerent eis.* Quicquid ex pisce sibi assumpserunt, eos significat, qui de membris diaboli, in Christi membra transferuntur: id est, de infidelitate convertuntur ad fidem. Quicquid verò dimiserunt, eos è contrà demonstrat, qui audito Dei verbo, malunt inter membra mortua ac putida sui deceptoris residere, quam in societatem Salvatoris reverti. *Assavit carnes ejus in eis quos cardinales invenit, sed igne sui amoris spirituales ac fortes reddidit.* Denique Spiritus sanctus in Apostolos in ignis visione descendit. *Cetera, inquit, salierunt:* quod ad doctores spiritaliter pertinet, quibus dicitur: *Vos estis sal terra.* Salierunt autem, id est, Tobias & Angelus: quia idem mediator Dei & hominum, & humanitas Apostolos docuit loquendo, & divinitus eis in corde saltem sapientiæ tribuit.

*Tulerunt autem secum quæ sufficerent eis, quousque pervenerent in Reges civitatem Medorum.* Quia Dominus tantos de Judæa collegit ad fidem, qui sufficerent, ad exemplum vivendi, vel ad ministerium prædicandi, quousque etiam in gentibus Ecclesiæ fundamenta locaret.

*Suggerit Angelus Tobias, ut ingressus domum Raguel, filiam ejus Saram petat sibi uxorem.* Raguel indicat populum gentium, quem Dominus per prædicatores suos visitare dignatus est: ut de ejus stirpe sibi sponfam assumeret, id est, ipsam gentilitatem sibi Ecclesiam faceret. Congruit & Saræ nomen Ecclesiæ, propter Saram conjugem Abraham Patriarchæ, quæ genuit Isaac filium promissionis, id est, liberum Ecclesiæ populum. Nomen quoque Raguel, qui interpretatur pater ejus Deus, sive amicus Deus: illum designat populum, qui victa diaboli fraude, se suosque Domini consortio necit, qui dicere novit: *Dominus pascat me, & nihil mihi deerit.* Et audire meretur: *Iam non dicam vos servos, sed amicos meos.*

*Tibi, inquit, deberur omnis substantia ejus.* Et pater ad filium: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, &c.*

*Ingressi sunt ad Raguel, quos suscipit cum gaudio.* Adijt Dominus populum nationum, per doctores sui verbi, qui libenter accepit in plurimis locis, ut Apostolorum Augusti testantur.

*Petrus filiam Raguel primò expavit, sciens quid provenisset illi septem viris: sed docente Angelo, quia immundi eam habere non possent, Tobias autem qui Deum timebat, postea dare consensit.* Audiens verbum fidei populus gentium, atque ab Apostolis admonitus, ut de sua progenie per orbem Ecclesiam Christi faceret, non sine certa exploratione potuit novæ fidei jura legemque suscipere: sciens, quòd multis temporibus præcis habuit doctores, qui omnes quasi septenario numero comprehensi, hujus solum vitæ gaudia noverant, de æternis nihil certum dicebant, ideoque illos absque spe vitæ immortalis, æternæ mortis rapuisset interitus. Sed docente intrinsecus ipsa veritate, quæ foris per doctorem ora sonabat, tandem intellexit, quia necesse esset, ut stulta dicerent stulti, perirentque hi qui Dominum verum non noverant: jure autem mundi conditor in mundum veniens, mundi regimen susciperet. Et fidem confessus Christi, ejus se sacramentis sanctificari gaudebat.

*Introductus Tobias ad Saram in cubiculum, protulit de castidili suo partem jecoris, & posuit super carbonem vivos.* Et Dominus accepturus Ecclesiam de Gentibus, in primo dispositionis ejus initio jubet eam in singulis credentibus abrenunciare satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus, ac deinde consistere fidem sanctæ Trinitatis in remissionem peccatorum, quod est intima pacis viscerum vivis cremare carbonibus.

*Quibus actû Angelus apprehendens dæmonem ligavit.* Quia post abrenunciationem diaboli, post confessionem rectæ fidei, sequitur remissio peccatorum, expulso dæmonio per aquam baptismi. Liga vit autem eum, quia à fidelium latione retinuit: quos est tentare aliquoties permittitur, ut probentur, superare tamen prohibetur, ne à fide deficiant.

*Ligavit, inquit, eum in deserto superioris Ægypti.* Et desertum & Ægyptus infidelium corda significant, quæ & delerta, id est, derelicta sunt à Deo, cujus inhabitatione sunt indigna. Et hæc eadem sunt juxta interpretationem nominis Ægypti, perfidia suæ tenebris obscurata. Nec immeritò qui deserunt à gratia divinæ lucis, replentur à principe tenebrarum. Apprehensum ergo Angelus dæmonem, qui Tobias occidere cupiebat, ligavit in deserto superioris Ægypti: quia cohibitum à raptu fidelium, qui membra sunt sui redemptoris, idem Dominus & redemptor noster diabolum infidelibus tantum dominari permittit. In quibus etiam ligatum tenet eum: quia nec ipsos quos possidet impios, tantum lædere sinitur, quantum infatigabili furore desiderat.

*Interea circa pullorum cantum timens Raguel, ne forte occisus esset à demone Tobias, fodit sepulchrum cum servis, sed hoc confessum agnitæ solennitate illius, jussit terra repleti.* Cantus pullorum, sonus est prædicantium, qui cùm manè diemque verum fidei mundo post tenebras erroris ad futurum caverent, erant quidam in populo gentium, qui dubitarent, an verè Dominus hostem vicisset antiquum, ideoque fidem nominis ejus obruere atque abscondere satius æstimarent: qui

Psal. 32.  
104. 15.Psal. 2.  
Tob. 7.

Tob. 8.

tamen postmodum agnita luce veritatis, quasi aurora procedente & crebesciente pullorum cantu, id est, voce doctorum, qui ad superna desideria a lacri cordis volatu se levare consueverunt, omne nubilum dubitationis sua de mente pepulerunt, ac veraciter Christum, hoste prolatro, sponsum esse sanctæ Ecclesiæ cognoverunt.

*Lætatus Raguel de vita Tobia, & de conjunctione ac nuptiis filia sua, fecit occidi duas vaccas pingues, & quatuor arietes, & parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisque amicis suis.* Lætatus de fide Christi populus gentium, & de vocatione gentilitatis ad Deum, tantum proficiebat in Domino, ut etiam de ejus numero doctores fierent, ijdemque postmodum & martyres extiterint. Qui vaccæ utique sunt, quia jugum Evangelij leve gellant: quia eos quoque, qui ut ad portandum idem jugum proficiant, prædicando gignunt & nutriunt. Sunt & arietes, quia patres & duces sunt populorum, de quibus dicitur: *Afferte Domino filios arietum.* Sunt autem pingues vaccæ, quia superna delectationis gratia sunt reforti doctores. De qua Psalmista precatur: *Si cui adipe pinguedinis repletur anima mea.* Sunt duæ vaccæ occisæ, quia quicumque pro Christo, vel ipsi corpus suum sponte mortificant, ut hostia viva fiant, vel in manus infidelium tradunt occidendum: tales nimirum per arma iustitiæ, à dextris & sinistris, id est, in prosperis & adversis, contra hostem stare didicerunt. Sunt quatuor arietes occisi, quia sancti doctores & martyres quatuor libros sancti Evangelij fide & operatione conservant, quia quatuor virtutibus primis, prudentia, fortitudine, temperantia, iustitia, muniantur: quia per orbem universum, qui quatuor plagis distinguitur, gregem Christi instituunt. *Fecit Raguel vaccas & arietes occidi,* quia populus gentium tales eos qui de sua stirpe ad fidem venerant, esse docuit, quos præminencia virtutis hostis tentare appeteret, nec tentatos vinceret, sed victores posset facere martyres. Vel certe ipse fecit occidi, quos carnem suam pro Christo, cum vitij & concupiscentijs crucifigere docuit. Quarum occisione *paravit epulas omnibus vicinis & amicis suis,* quia profectus, vita, passio & corona sanctorum, multis latitiam tribuunt, & quasi epulas, ex quorum reficiuntur exemplis, accipiunt.

Psal. 28.

Psal. 62.

*Et adjuravit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas moraretur apud eum.* Adjuramus & nos Dominum nostrum, orantes ut nobiscum maneat, donec perfectionem sanctæ requie per Spiritus sancti gratiam consequamur, quia requiescimus à terribilibus actibus, i. e. peccatis in corpore, & à pravis cogitationibus in mente: & requiescat in nostro corde & corpore ipse qui ait: *super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & timentem sermones meos?* *Pecit Angelum Tobias, ut assumens animalia sive servitia vadat ad Gabelum in Reges medorum, reddatque ei obitographum suum, & recipiat ab eo pecuniam, rogetque eum venire ad nuptias ejus, & annuit.* Pecunt Dominum fideles, membra videlicet ipsius, ut adsumat aliquos de credentibus, eisquæ verbi prædicandi negotium committat, & ipse in eis veniat ad colligendas in fidem suam nationes, quæ necdum fidei mytheria susceperunt, sed tantum famam audierunt: eisque concedat propitius, ut talentum verbi quod fama didicerunt, per fidei obedientiam reddant: & ipsi quoque ad nuptias sanctæ Ecclesiæ, in quibus sponsum est Christus, in quibus vinum de aqua novum fecit, id est, spiritalem legis dat intelligentiam, credendo & rectè vivendo aggregentur. Nec abnuat Dominus, sed benè rogantium vota suscipiens, novos quotidie populos in Ecclesiam cogit. Potest, ut supra dicitur, de his spiritualiter intelligi nationibus, quæ literam legis per LXX. translatores acceperunt: & ideo citius fidem suscipere valebant, ut potè quam in libris notis tenebant.

Esa. 66.

Tob. 9.

*Assumens ergo Raphael quatuor ex servis Raguelis, & duos camelos, in Reges Medorum perrexit: & indicans ei cuncta de Tobia, recepit pecuniam, eumque secum ad nuptias fecit venire.* Servi Raguel & cameli, prædicatores sunt de Gentibus electi, per quos Dominus & alios colligit. Servi, quia serviunt necessitati eorum quibus evangelizant. Cameli, quia & onera infirmitatis eorum fraternæ subjectione

charitatis portant. Quare autem quatuor servi & cameli sint duo, supra monstratum est, ubi vaccæ duæ, & quatuor occiduntur arietes. Tales adjuvante Raphael producunt Gabelum ad nuptias Tobia. cum in utilitatem Ecclesiæ Christi novos populos ipso divinitus opitulante, sancti prædicatores aggregant.

*Moras faciente Tobia nuptiarum causa, contristati sunt parentes ejus, quod non die constituto reverteretur ad eos.* Ex nunc morante Christo per fidem in Ecclesia congregata de Gentibus, quicumque singillatim de Judæis ad fidem illius convertuntur, multum dolent animo: quia tardat Dominus venire ad salvandos eos, retentus in Gentibus, quibus benè congruit, quod mater ejus pauper, & quasi viro simul ac filio orbata, multo cum dolore dicebat.

*Heu heu fili mi, ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spes prosperitatis nostræ? Omnia simul in te uno habemus, non te debuisimus amittere te à nobis.* Quodque Tobias congregata eam, respondet: *Tæc, & nobis turbari sanus est filius noster, factus fidelis est vir ille cum quo misimus eum.* [Eisdem ipsi qui nunc de Judæis credunt, convenit: qui te suosque adhuc con- solantur quod verè futurum sit tempus, quando revertatur ad eos Dominus, & tunc omnis Israel salvus fiat: scientes, quia satis fidelis est Dominus, qui hoc permisit. Sic ut enim supra docuimus, idem Tobias & per caritatem suam incredulos, & per fidem credentes more scripturis usitato designat.

*Rogat Tobiam Raguel ampliori tempore manere secum, nec auferatur, dicens Tobia: Ego novi quia pater meus, & mater mea modo dies computant, & cruciatur spiritus eorum in ipsis.* Et cum plenitudo gentium intraverit, nullus poterit prohibere Deum, quin & Israel salutem tribuat, caritatemque ejus quæ ex parte facta est, auferat. Recordatur enim divina clementia, quoniam tristitia est magna, & continuis dolor cordis credentibus ex Judæis pro caritate incredulorum, qui sunt cognati eorum secundum carnem, qui sunt Israelitæ.

*Dimisit ergo Tobiam Raguel ad parentes suos, tradens ei Saram cum multa substantia.* Remittunt in fine doctores Ecclesiæ Christum, cum ipsa Ecclesia virtutum divitiis plena, ad illustrandum fide, ditandamque bonorum operum substantiam gentem Judæorum, ex qua carnem assumpit.

*Præcisi Angelus & Tobias ad parentes ejus: deinde secuta est uxor ejus cum substantia & familia suis.* Postquam illuminator pater præcedit divina gratia ad illuminandam caritatem populi Judæorum, atque in suis literis Christum verum Deum atque hominem esse cognoscunt, & post agnitionem rectæ fidei, quasi viso Angelo & filio suo, quos diu non viderant, multum gaudentes: sic tandem sanctæ Ecclesiæ, quæ est de Gentibus congregata, participatione mytheriorum caelestium jungunt.

*Appropinquantibus damus præcurrit canis, qui simul factus in via, quasi nuntius adveniens blandimento sue caudæ gaudet.* Non contemnenda est figura canis hujus, qui viator & comes Angeli est. Doctores ergo, sicut & supra docuimus, exprimit Ecclesiæ, qui tæpè confingendo cum hæreticis, lupos graves à pastoris summi fugant ovili. Quibus bene congruit, quod canibus naturale est, beneficijis rependere gratiam, & sollicitas excubias pro dominorum salute prætereendere. *Præcurrit ergo canis,* quia prius salutem prædicat domui, deinde Dominus illuminator corda mundi. Et post chre dixit, *quasi nuntius adveniens,* quia nimirum doctor quisque fidelis nuntius est veritatis: *pulchre blandimento sue caudæ gaudet.* Cauda quippe, quæ finis est corporis, finem bonæ operationis, i. e. perfectionem, vel certe antecedem, quæ sine fine tribuitur, insinuat. *Blandimento* ergo *caudæ gaudet canis,* cum te facta dominorum, quibus diu ab- erat, reviseret. Gaudet doctores de effectu sui operis, cum Judæam per suum ministerium à Dño recolligendam intelligunt. Gaudent de præmij perceptione vitæ sempiternæ, & de hoc eodem præmio cunctis electis communi, corda eorum quibus prædicant, exhilarant, dum eis ad- venturam confestim Christi gratiam promittunt.

*Annunciante igitur canem venisse Tobiam, exurgens canis pater*

V. B. E.  
T. O. B. I. A.  
S. A. R. A.  
M. A. R. I. T. I. M. A.  
S. P. I. R. I. T. U. S. S. A. N. C. T. I.  
S. P. I. R. I. T. U. S. S. A. N. C. T. I.

ejus cepit offendens pedibus currere.) Audito a doctoribus verba salutis, exiit rex populus Hebræorum de longo perfidia suæ veteris, currit amore ad Dominum: quamvis offendens gressibus operum, donec plenitudo Fidei & operationis bonæ, lucem recipiat regeneratus in Christo, & instructus.

Et data manu puero, occurrit obviam filio suo.) Dat manum puero cæcus, ut in offenso pede operis Domino occurrat: qui etsi ipse necdum viam Fidei plenè intelligit, ei tamen qui lumen veritatis benè cognovit, assensum præberet, quæ ad Dominum perveniat, fatagat.

Et suscipiens osculatus est eum cum uxore sua, stent esque prægaudio.) Suscipiens cum gaudio Judæa in fine copulam Christi, junxit & stetur gaudens, quia credit: dolens, quia tam ferò ad Dominum pervenit.

Tunc sumens Tobias de selle piscis, linivit oculos patri suo.) Et Dominus credentibus revelat apertius, quanta est malitia draconis antiqui, qui illum in passione quondam devorare gestiebat: sed per hoc ipse potius occisus, sua membra, id est eos quos antea tenebat, amisit.

Cepit ex oculo Tobias quasi membrana ovi albugo egredi, postquam liniti sunt de selle piscis, & visum recepit.) Et Judæorum populus postquam amarissimam nequissimi hostis malitiam cognoverit, amissam recipiet lucem. Albugo quæ obsederat ejus oculos, stultitiâ sibi met placendi designat. Habent enim zelum Dei, sed non secundum scientiam. Et sic iterum dicit: Suam justitiam volentes consistere, justitiam Dei non sunt subiecti. Pupilla enim nigra videt, alba tenebre scit. Et qui sibi sapientes videntur, dicentes: Nunquid & nos cæci sumus? in his veritas non est.

Qui autem suæ fragilitatis & ignorantia consij dicere norunt, Deus meus illuminata tenebras meas: hi luce vitæ supt fruituri in Domino. Benè autem albugo quasi membrana erat ovi, per ova quippe spes designatur: quia videlicet nondum vivum est, nondum animans est, sed separatur à volucre, quæ hoc posuerat, quando vivat, procedat, curat, volat. Et Apostolus ait: Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Unde & in Evangelica parabola sub nomine panis, piscis & ovi, tres summæ virtutes, Fides scilicet, Spes & charitas exprimentur. Habet ergo populus Judæorum adhuc velamen ante faciem cordis, ut non intelligat gratiam Christi. Habet albuginem, quia sibi met candidus & justus præ omnibus videtur. Sed habet eandem albuginem quasi membranam ovi: quia cæcitate sustinet mentis, sub spe stultissima & supervacua nascitur in carne Christi, atque eos liberaturi, eisque regnum magnum daturi per orbem. Sed quibus scunque eorum ablata fuerit erroris caligo, agnoscent quia Christus jam venit, & mundum suo sanguine redemit. Quibus aptè congruit quod sequitur:

Quia visu recepto, glorificabat Deum Tobias cum uxore sua, & omnes noti ejus, dicens: Benedicite Domine Deus Israel, quoniam tu castigasti me, & tu salvasti me, & ecce video Tobiam filium meum. Ingressa est etiam post septem dies Sara uxor filij ejus.) Septem dies lucem gratia spiritualis, qui septiformis accipitur, insinuant. Post septem ergo dies illuminato Tobias, ingreditur uxor filij ejus, quia postquam illuminata fuerit Judæa per Fidem, postquam gratiam sancti Spiritus acceperit, ingreditur ad eam Ecclesia, ut sit unum ovile, & unus pastor, sitque una domus Christi, uno angulari lapide firmata.

Ingressa sunt & pecora, & camelus, & pecunia multa uxoris.) Multæ fidelium personæ, multæ virtutes Ecclesiæ tunc in populum Judæorum congregantur.

Sed & illa pecunia quam receperat à Gabelo.) Scientia quoque Scripturarum, quas aliquando Gentibus commoda bant, tunc eidem redditur.

Venerunt consobrimi Tobias, congratulantes ei de omnibus bonis, quæ illi fecit Dominus. & per septem dies epulari sunt cum eo.) Hoc est quod in cantico Moyses dixit: Letamini gentes simul cum populo ejus. Septem dies epulantur simul: quia in donis spiritualibus & virtutibus gaudent. Redditur ad cælum angelus, apertius illis quis sit ipse, & quare vene-

rit, quodque sit reversus ad Deum, exponit. Et Dominus eidem populo tunc proficienti latius suæ cognitionis munera patefacit, aperiens & ostendens omnibus, quia ipse in patre, & pater in ipso est. Rediit ergo Angelus ad Deum, remanet apud patrem Tobias. Et Dominus ab electis intelligitur, in divinitate patri æqualis, humanitate nobis consubstantialis.

Tunc aperiens os suum senior Tobias, benedixit Deum.) Confessus severitatem & misericordiam ejus, simul & admonens fideles ejus beneficia semper prædicare, ejus flagella pertimescere: imbutusque spiritu prophetiæ, de superna Hierusalem matre nostra multa per laudè decantat. Et populus Judæorum conversus in fine seculi ad Fidem, multos habebit doctores & propheticos viros, qui mentes proximorum ad superna desideria accendant, dum eis cælestis patriæ gaudia perpetua, crebra voce resonant.

Tobias senior in hora exitus sui vocavit ad se Tobiam filium suum, & septem filios ejus nepotes suos, dixitque eis, quia prope esset interitus Ninive, & instauratio Hierusalem, & terra Israel.) Et tunc in Judæa doctores quippe fideles & justi hoc videntes, hoc exituri de mundo, suos propinquos admonent, quia mundus jam propinquet ad finem, & futuræ vitæ bona proximè sint ventura. Monent autem hoc eos maxime, quos per Domini gratiam renatos, & Spiritus septiformis esse munere repletos aspiciunt: quod est esse filios Tobæ junioris in numero septenario, & hos juvenes, hoc est fortes in Fide, & vincentes malignum.

Dirigite, inquit, gressus vestros, ut cœcitate de Ninive videamini, quia iniquitas ejus sinem dabit ei.) Et hoc est dicere fidelium suis auditoribus: Dirigite intentionem cordis vestri, ut hujus seculi terrenæque conversationis desideria relinquatis, & tota mente cælestia petatis. Constat enim, quia tanta est pravorum multitudo, tanta præceptorum Dei transgressio per orbem, quæ non aliter nisi orbis ipsius ex termino sicut quondam in diluvio, totiusque generis humani abolitione possit terminari.

Absest ergo Tobias ex Ninive cum uxore sua & filijs, & filiorum filijs, & reversus est ad soceros suos, & invenit eos in senectute bonæ.) Hoc quotidie facit Dominus, huc usque ad finem seculi facturus est, cum derelictis eis, quos suos non esse cognoscit, ad illorum corda visitanda & illustranda convertitur, quos ad vitam prædestinavit æternam. Hos enim in senectute bona invenit, cum bonis operibus diu videt, & idcirco præterit eos, qui divinis viventis, non maturi sunt consilio, non candore bonæ actionis quasi canicie venerandi, sed vitiorum sunt onere incurvi. De quibus dicit Elaias: Centum annorum morietur puer, & peccator centum annorum maledictus erit. Merito pro peccatis maledictioni subiacebit, qui cum multis annis vixerit, puerilitatem animi levitatem nunquam deserere curavit.

Invenit, inquit, eos in senectute bona incolentes, & curam egit eorum, & ipse clausit oculos eorum, & omnem hereditatem domus Raguel ipse percepit.) Et Dominus ac Salvator noster curam agit eorum, quos in bonorum operum incolumitate perflare cognovit. Ipse intuitu cordis eorum à præsentis vitæ delectatione claudens, ad contemplationem perpetuæ lucis attollit. Ipse illos post hujus vitæ terminum ad cælestia perducit. Ipsi est hæreditas, de qua ei canitur à Propheta: Exurge Deus, judica terram, quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.

Et completis in timore Domini annis plurimis cum gaudio, sepelietur eum omnes cognati ejus.) Sepultura Tobæ, fidem totius mundi designat, quando Dominus noster cum toto corpore suo, quod est Ecclesia, quam redemit, in requiem intrat æternam, congratulantibus angelis de societate hominum redemptorum, & singulos quoque, membra videlicet sui conditoris, per diversas supernæ patriæ mansiones, pro meritum diversitate collocantibus.

Et omnis generatio ejus in bona vita, & sancta conversatione

Tob. 13.

Tob. 14.

Esai. 65.

Psalm. 81.

Rom. 10.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Psalm. 17.

Rom. 8.

Lucæ 11.

Rom. 13.

*Psal. 23.  
Psal. 111.*

permanſi. Hoc una per totum orbem, totumq; ſeculi tempus generatio, quaerentium Dominum, requirentium faciem Dei Jacob. De qua item dicit: *Generatio rectorum benedicetur.* Quæ eſt autem via melior, quæ ſanctior converſatio, quam in gloria ſui conditoris perpetuo manere?

*Ita ut accepti eſſent tam deo, quam cunctis habitatoribus terra.* Perducti ad patriam cœleſtem homines, accepti erunt Deo, cujus gratia ſunt redempti: accepti erunt & angelis, quorum numerum complebunt, quibus in perpetuum fraterna ſunt ſocietate copulandi. Hi ſunt etenim habitatores terræ illius, de qua Dominus dicit: *Beati vultes, quoniam iſſi poſſidebunt terram,* quam videre deſiderans Plalmiſta, dicebat: *Credo videre bona Domini in terra viventium.*

*Matth. 5.  
Psal. 26.*

*Expoſitionis allegorica in Tobiam ſinis.*

### BEDÆ PRESBYTERI IN JOB LIBRI TRES, AD NECTARIUM, NUNC PRIMUM TYPIS EDITI.

#### PRÆFATIO.

**A**DHORTANTE, immò potius compellente Nectari, pater beatiſſime, aggregior opus mihi valde arduum, atque difficile, quo de ſancti Job libro aliqua explanare præſumam. Nam cum ſanctus Hieronymus in Scripturis divinis, ut ipſe noſti, multùm peritus, de eodem libro ita dixerit: *Obligatus apud Hebræos totus ille liber fertur, & Lubricus, & quæ græcè Rhetores vocant eſchimatiz ſuavos, dumque aliud loquitur, aliud agit, ut ſi velis anguillam aut muremulam ſtrictu tenere manibus, quanto fortius preſſeris, tanto citius elabatur: vides quàm laborioſum ſit quod poſtulas,* cum vir ille tantus hoc, qui grandi ſcientia claruit, Sed quia tanto per præcipis, vires meas minimè cogitans, aggrediar hoc opus in adiutorio Domini facultate qua valeo. quod propter copiam expoſitionis, in tres libros dividendum exiſtimo. Peto, pelagus huius Scripturæ ingrediens, ut orationibus tuis à Deo obtineas, quatenus in profundo intelligentiæ conſtitutus, divini manu potentia merear gubernari, & inter fluctus errorum, qui ſunt adverſarij veritatis, ad portum deſideratæ perventionis abſque ulla ſanctæ Fidei læſione perducì.

#### EXPOSITIONUM IN JOB

##### LIBER PRIMUS.

*Psal. 53.*

**S**ANCTUS Job, vir ſumma patientiæ & virtutis, Deique teſtimonio approbatus, multa de Chriſto Domino prophetavit, cujus etiam ipſe perſonam figuratè geſſit: quod & ipſo nomine declaratum eſt. Nam Latine Job dolens interpretatur: & ſecundùm Prophetam & Evangelium in Chriſto prophetia illa completa eſt, ubi dicitur: *Ipſe infirmitates noſtras ſuſcepit, & Pro nobis dolens, & Pauper ego, & dolens eram.* Multa etiam de Eccleſiæ myſterijs, peccatorum quoque felicitate præſenti, nec non & diaboli virtute atque potentia nimis obſcurè locutus eſt. Illos autem amicos ejus, puto poſſe perſonam eorum figurare, qui nunc in Eccleſia adverſantur Chriſto, ſicut & alios qui horum ſimiles extiterunt, ut fuit Cain in ipſo mundi principio, Chore etiam, & Dathan atque Abyron, Saul & Caiphaz, & Judas atque Barieu ille pseudopropheta. Nam ſunt alij extra Eccleſiam, qui Chriſto ejusque Eccleſiæ ſimiliter adverſantur: quorum imaginem prætulit Balaam ille ariolus, qui & Eliehu, ſicut patrum traditio habet, qui contra ipſum ſanctum Job multa improbè & injurioſè locutus eſt, in tantum, ut etiam diſpliceret in una ejus, & indiſciplinata loquacitas.

Quinque etiam divini illi urbium Palæſtinæ, inimicorum Chriſti deſoris contra eum militantium ſignificavere perſonas, quoniam nunc intus & foris contradicitur Chriſto. Intus & foris maledicitur Chriſtus, & blaſphematur ab inimicis ſuis, in qua figura Hieruſalem inter Samaritanos & Sodomam conſiſt: bar. Verùm intus non perſpicuè Chriſto contradicitur, nec aperte Chriſtus blaſphematur: ſed ſub velamine rectæ Fidei quidam contemptores audeces, ſibi placentes, ſectas facere non metuentes, Chriſtum blaſphemant. Iſti ergo tres amici Job, eos figurant, ut dixi, qui intus ſunt, & Chriſtianitatis nomine palliantur, de quibus vel maximè ſunt hæretici. Et quia de intus ſunt, idcirco & Job amici dicuntur: quos Scriptura ex ſenſu potius ipſorum, quantum ad ſignificationem pertinet, hæreticorum, ejus amicos appellat, ſcilicet hoc putantes ſe eſſe, quod non ſunt, ſicut & Joannes Evangeliſta de Judæis ait: *Et ipſi non intus averunt in prætorium, ne contaminarentur.* Locutus enim eſt illud ex ſenſu Judæorum, qui cum ſecundùm facinora ſua eſſent contaminati, hoc ſe contaminandos putabant, ſi prætorium quo Chriſtum perducendum tradiderant, introiſſent. Inde eſt etiam, quòd illi amici Job, quia ſe amicos eſſe jaſtant & veraces, magna ſibi & pretioſa nomina imponunt, quaſi ipſi ſinceraurum Dei, & præcipui, atque ſpeculatores ejus, hoc enim in Latinum ſonat Eliphaz, Baldath, Sophar. Et verè ſi quis diligenter intendat hæreticorum gloriam vanam, hanc in eis ſpecialiter relationem inſe cognoſcit, quam præſentant apud ſe eſſe veritatem, cum ſint aſſertores mendacijs. Iſti tamen prophetant aliqua, & multum ſecundùm naturæ bonum ſapienter loquuntur: ſed in hoc arguuntur à Domino, quòd ea qua convenit peccatores poſitis, & blaſphemos audire, ſancti Job mordaciſſimis injurijs irrogabant, quippe cui Deus tam magnam ſanctitatis teſtimonium perhibuiſſet, tanquam ergo & hæretici de Chriſto Domino non ita ut divinitatis ejus compati, ſed ut ipſorum impietati conſonat, ſic loquuntur. Intus autem eſſe hæreſes propter communia ſacramenta dicuntur, quæ cum de illis ſpinæ eſſe ſunt, nihilominus filia Eccleſiæ appellantur, ut de eisdem ait Saluator in Cantica Cantorum, ubi de ſanctæ Eccleſiæ loquitur: *Sicut ſilivum in medio ſpinarum, ita proxi-ma mea in medio ſilivum, & iterum: Multa filia acquiſerunt divitias, multa fecerunt potentiam ad Eccleſiam, tu autem ſuper aſti omnes.* Cum autem filia ſint Eccleſiæ, per diſceſſionis ſuæ divortium, qua ſe ab unitate ejus ſeparaverunt, foris & extra eam eſſe creperunt. De quibus & Joannes Apoſtolus ait: *Ex nobis extierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique in ſynagoga.*

Præmiſſa itaque diſpoſitione perſonarum intelligentia regula, & quibuſdam fundamentis ſuperponenda expoſitioni ante compoſitis, nunc prout locus ſeu myſticus ſeu ſimpliciter dictus extiterit, donante Domino, atque in nobis operante ejus gratia, diſſeramus. A principio tamen libri, quem uſque ad verba Job doctores Eccleſiæ dicunt in Hebræo proſa oratione conſcriptum, ſive præpoſiti verſiculis expoſitionis intelligentiam proloquemur, & verbis verò ſancti Job per ſingulos verſus explanare tentabimus.

#### CAPUT I

**V**IR erat in terra Huſ nomine Job. Cui dubium, quòd terra illa ita ſit nuncupata, in qua beatus Job, ſanctitate, divitijs, & regno potens degebat? Et quia Huſ & Hur filij fuerunt Nachor fratris Abraham, juxta fidem libri Geneleos, nati de Melchi ſorete Sarre: credibile videri poteſt, ut in terra quæ ex parentum nomine dicta eſt, vir ille ſanctus habitaverit: & eſſe illum potius de genere Nachor, non de Elau origine procreatum, ſicut quidam opinione dubia ſuſpicantur. Illi autem tres Reges ſuperius dicti, de genere fuerunt Elau: quorum unus ille Eliphaz natus eſt de Adâ uxore ejuſdem Elau: & regnavit in Theman: unde & dictus eſt Themanites Theman ſu-

mea,